

QK.267, 27

19
Z d
5894

ΔΑΚΡΥΜΑΤΑ,

Quibus

Honorabile Corpus

PRÆEXIMI, AMPLISSIMI, PIETATIS, DOCTRI-
NÆ, HUMANITATIS ALIARUM QVE PLURIMARUM VIR-
TUTUM LAUDE CELEBRATISSIMI VIRI

Domini

D. JOHANNIS JEREMIAE
REUSNERI, Jcti,

Cum

Die nono post beatam animæ ad Salvatorem suam
migrationem honorifico sepulturæ ritu terræ esset
mandandum

Sarserunt

FAUTORES ET AMICI,

Die IX. Febr. Aö. 1662.



Dresda, Typis Montanis.



X 2056772





N Il hominis vitâ datur inconstantiùs orbi
Principio vitæ neçtitur atra dies.
Turba senum vario miscetur flore juventæ
Ipsam virtutem trux Libitina rapit.
Exemplum doleo quod sis Reusnere meorum,
Verborum dignus Nestoreis numeris;
Mors tamen ista tibi non mors sed vita perennis,
Quam veram Christus dat sine morte tibi.

Condolentiæ testandæ gratia
fecit

THEODORUS BUSSIUS, D.

HEV dira fata, denegant quæ vivere
Quicquid frui vitâ meretur longius!
Nam flore sub primo celer jam raptus est
Nobis Amicus dulcis et suavissimus.
Sic ille flebilis bonis cadit multis,
Et maximè desiderabitur multis.
Lugere quis sibi hinc, rogo, jam temperet,
Ac fata nollet hacce flere turbida,
Tristiq; carmen integrare nenia?
REUSNERE, pura candidum magis nive
Pectus, meiq;ve magna cordis portio,
Caput pium, doctumq;ve; quid? gloria Gentis
REUSNERIÆ, stupor Sais, Lux Themidosq;ve;

In Te vigor lucebat ingenij capax,
Splendebat & sublime Virtutum decus:
Astræa Diva grata splendori Tuo
Favebat. Ab, nunc morte, morte luridâ
Ademtus es certè mibi celerrimè,
Atque in sepulcro fungeris fato Tuo!
Ut bulla tabescis, virens ut flosculus
Arescis horti, ut umbra parva profugis.

NIL PROPRIUM MORTALIBUS QUICQUAM EST DATUM.
Chartaceos Viros subinde procreat
Redditque charta; nervos sic minuit gravis
Minerva. At erro, more Vulgi computans:
Mors est TIBI non mors, lucrum sed splendidum.
Nunc gaudiorum præditus sacomate
Letaris in credentium consortio.
Jamjam salutis attigisti limitem,
Fruearisque vitâ, vitâ quæ dici meret.

BEATUS ILLE, QUI CITUS PETIT COELUM.

ΣΥΝΔΥΜΟΝ ΟΨ.

CHRISTIANUS Schüz.

Nescia sunt hominum venturi pectora Fati,
Et citius quam spes mors inopina venit,
Nil adeò datur in mundi caligine firmum,
Quod durare diu, vel superesse queat.
Nascimur & morimur, finisque ab Origine pendet,
Omnia peccato mors inimica rapit.
Hoc satis heu! REUSNERE probant tua tristia fata:
Hoc tua mortales mors inopina docet.
Fervidus ætatis læto Tu flore virebas,
Nunc tacta ut dirâ grandine rosa jaces.

Hinc

Hinc premit obsessum moles immensa dolorum,
 Pectore concipio nil nisi triste meo.
 Ecce novum nostra ad Thalamum Tibi pangere carmen
 Musa parans, fatis cogitur ad tumulum,
 Hà mors! quid tabulis tibi dulce inscribere Averni,
 Quis vita solida est non peragrata via?
 Flectere te nequii transacti terminus ævi
 Integer, & veræ mens Pietatis amans?
 En tibi quot sparsim filicernia cana supersint,
 Quæ feretro poteris indere commodius,
 Hà mors! Sed taceo: potius Salveto Beate!
 Salveto! svavis jam Tibi vita datur.
 Inter Cœlicolas castos, turbamqve piorum
 Præsentis lætans aspicias ora DEI.
 Gaudia quanta oculus non vidit, quanta nec auris
 Hausit, quanta nequit fingere pectus, habes.
 Cum semel humanos animus relliquerit artus
 Non transcendendo stat data meta loco.
 Quilibet antiquam resolutò corpore glebam,
 Et repetit Cinerem ceu fuit ante cinis.
 Scilicet ad metam mors omnes convocat unam;
 Hæc nullum intactum linquit in orbe caput.
 Est sua cuiqve dies & inevitabile tempus,
 Serius aut citius mors sua quemqve manet.

Συμπαθείας Ένσκα
 scripsit

Johannes Samuel Hoffmannus.
 Meinungâ-Francus.



QK.267, 27

ΔΑΚΡΥΜ

Honorabili

PRÆEXIMII, AMPLISSI
NÆ, HUMANITATIS ALIAR
TUTUM LAUDE CEL

Don

D. JOHANN
REUSN

Die nono post beatam a
migrationem honorific
man

FAUTORE

Die IX. K

Dresda, T



X 2056772

